



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Seon siue Seun, monasterium in Germania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**



Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Vdililde coniuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde ad Vtenburram, ibi honorificè est sepultus; postea ex Vtenburra ad Vrsinense monasterium relatus vnà cum fratre Bertholdo honorifico mausolæo conditus est, sub Abbate eius loci XXIII. Paulo Neccharo. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Vltimis, genuitque Vdalricum de Vltimis, magnum in primis Vrsinensis cœnobij benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

## CAPVT LXXXIX.

*Seon siue Seun, monasterium in Germania.*

**E**st illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, prouinciæ Treuerensis, conditum ab Henrico Comite de Sein, quod confirmauit Ioannes Archiepiscopus Treuerensis. anno 1202.

1202.

Aliud à Seienfi monasterio, est Bauaricum monasterium *Seon* siue *Sevym* vel *Sevven*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite Damasiano ac Andecensi, qui in Bauarica Norica, non pro-

cul



cul à Chiemensi lacu, Burgilium castellum suum in templum vertit, D. Lamperto dedicauit, tradiditque Benedictinis monachis. Incolæ à lacubus, qui ibi sunt frequentes, vocant *Socum*. Henricus Sanctus, hoc & alia monasteria largiter locupletauit.

Vlricus Abbas Seunensis & conuentus elegerunt Ludouicum Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ in Aduocatam & protectorem suum vigore priuilegiorum suorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt post illius obitum siue pater, siue alij ipsius proximi agnati eandem aduocatiam irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem concederent, monasterij priuilegia & iura defenderent. Extat latinum diploma, datum anno 1247. Ita Hundius.

*Munichmunsteriense Monasterium, in Bauaria.*

**I**stud monasterium ad Danubium infra Vohburg fundauit *Drepoldus* Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui duo insuper alia monasteria, *Reichenpach* & *Vvaldsassen*, fundauit: secundum Laurentium Hochvart, in Catalogo Episcoporum Ratisbonensium.

Hoc monasterium olim ab Vgris exustam, Henricus nonus, Dux Bauariæ & Deipoldus Vohburgensis Marchio, pro Benedictinis monachis instaurarunt: vt scribit Auentinus.

Ludouicus Dux Boiariæ confirmauit huic